

Za  
3264









La 3268

5

Obitum,

Senis optimi sanctissimique,

VIRI

Nobilissimi ac Consultissimi

JOHANNIS BORNII,  
IN HILMERSDORFF,

JCti, Academiae Lips. Antecessoris ac De-  
cem-Viri, Canonici Numburgensis & Supremae Curiae Pro-  
vincialis Advocati, Patroni & Collegae desidera-  
tissimi, iugebat

LIPSIÆ

VII. Idus Sextil.

A. E. O.

cl. lcc. LX.

FRIDERICUS RAPPOLT,

Prof. Publ. & Coll. Major Princ. h. t.

Præpositus.

---

LITERIS CHRISTIANI MICHAELIS.

5.







**A**ctum est, Amici. Deperit sensim genus,  
Quod prisco ab ære reliquum,  
Meroque passim ferro & Ætnæo situ  
Rubigo seculum inficit.

Jamque orbe toto cana Simplicitas abit,  
Et candida exulat Fides:

Quæque ultima olim liquit hanc terræ pilam,  
Nunc prima migrantum volat.

Refrixit omnis atque languet charitas,  
Verbiqve majestas jacet,

Vixque asis omnis æstimatur unius,  
Narrata surdis fabula.

Madent proterva cæde compita & viæ,  
Et innocenti sanguine

(Nefas videre) polluantur dexteræ;  
Ullo an futuro vindice?

Sanctum feroci Numen ore læditur:  
Loquique veris avia,

Et collybo unctas condere in sinum manus  
Seclum vocatur & lucrum.

Ars est Cotytrûs strenuè artem persequi,  
Et rete Nuptis tendere:

Ars, merce comta nescientes fallere,  
Suoque vespere vivere.

Acerba regnant divitum fastidia,  
Oppressioque pauperum:

Et per ruinas impotentum gloriæ  
Caput extulisse ducitur,

Vel æstuanti subruisse cæteros,

Queis certa Virtus, ambitu.

Rerum



Rerum potitur Numus & census gravis,  
Et nil habere barbarum est.  
Jactantur ergo quo queunt pacto Boni,  
Ut infra fortunas siti:  
Et, quas labore dedicamus plurimo,  
Sunt vana, Musæ, nomina.  
At ô senilis rara quam prudentia  
Ponis repagulum malo!  
Quam nulla, si quæ fortè sanctior super,  
Audiris infano gregi!  
Odiosa nempè res Senex peccantibus:  
Æquumque, mundo excedere,  
Nativo odora quum senectâ longior  
Ramenta mutat pulvere:  
Utque olim avitâ grandior natu domo,  
Sic Mammacuthus nunc prior.  
Quid heu moramur improbis mapalibus?  
Quid atra in album vertimus?  
Tecum hinc eamus, BORN I, eamus ocyus,  
Quò transtulit sedem DE A:  
Quoque ire gentem Jupiter iussit piam,  
Receptuique se dare:  
Eamus, orbis quotquot indignatio  
Cepit ruentis in Chaos,  
Et has profanas deseramus pergulas,  
Juriqve vafro deditas.  
Nec antè fas redire, quam mentem mali  
Mutent, colorem pardalis,  
Polusq; terra fiat, aut agnis lupus  
Abblandiatur Appulus.  
Phocæa quondam qualis ivit civitas,  
Urbem execrata perfidam,  
Laresque & agros fanaque impia horridis  
Ursis reliquit atq; apris.

Sed




Sed & resorptis desinamus lacrymis  
Ornare tumbam naniâ,  
Et ad beatas commeantes insulas,  
Nil præpeditis passibus,  
Hæc damna, nullis involuta cantibus,  
Ploranda demus posteris:  
Solumque jacto ter gemamus pulvere:  
VALE, cinis, VALE, VALE!  
Non Vate tanta, non Notore mors carêt,  
Nec dein carebit indice:  
Necharum, Apollo quas tuetur, ædium,  
Quas servat integras diu,  
Prægressa paucis hæc diebus funera,  
Ruina † inanis audiet.

† Ruina ædificiorum plerumque  
ominosa sunt. Oecon. Axiom.  
Richt. Reg. 1.







Handwritten text on the spine edge, including "M.C." at the bottom.

ULB Halle  
003 730 506  
3









Obitum  
Senis optimi sanctissim  
V I R I  
Nobilissimi ac Consult.  
JOHANNIS  
IN HILMERSD  
J Cti, Academiae Lips. Ante  
cem-Viri, Canonici Numburgensis &  
vincialis Advocati, Patroni & Co  
tissimi, iugebat  
LIPSIÆ  
VII. Idus Sexti  
A. E. O.  
cl. lxx. LX.  
FRIDERICUS RA  
Prof. Publ. & Coll. Major P  
Præpositus.

LITERIS CHRISTIANI M

